



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Chronologia Christiana

Herbipoli, 1694

Sæculum XIV. Ab Anno 1300. ad 1400.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65495)



SÆCULUM XIV

AB ANNO 1300. ad 1400.

S. I. *Romani Pontifices.*CLXXXVI. **B**ENEDICTUS X.

(aliis XI. Italus ex ordine *S. Dominici* Generalis minister, creatus Cardin: à *Bonif:* Pontif: elect. A. 1304. filius fuit viduæ lotricis, & vile genus suum adeo non erubuit, ut matrem suam splendidè ornatam, ad se in Pontificatu suo venientem nollet agnoscere, ubi vero habitu vili & ad lotricis conditionem accommodato rediit, benignè & humiliter excepit. Redditâ Ecclesię magnâ tranquillitate, & notâ Sanctitatis non vulgaris, ac miraculis etiâ conspicuus obiit A. 1304 die 7. Julij *PROPH: MALACH: Concionator Pataraus*; erat enim Ordinis Prædicatorum, dictus frater *Nicolaus*, alludit igitur ad nomen *S. Nicolai* qui patriâ *Pataraus* erat. Post *Benedictum*

vaca-

vacavit sedes 2. annos & aliquot
menses.

Sequitur nunc Septenarius Pontifi-
cum, qui relicta Româ Sedem Avennionem in
Gallia tenuerunt, usq; ad annum 1376, quò
illam *Gregorius XI.* Romanæ Urbi restituit,
de hac translatione à *Clemente V.* facta ita
Genebr. in *Clemente V.* ad annum, 1305. litt.
b. *Clemens V.* magno Christianorum incom-
modo Sedem Pontificiam Româ Aven-
nionem Gallix Urbem transtulit, ubi Suc-
cessores manserunt annis 70. quod captivi-
tatem Babylonicam Itali appellabant. *Bous-
siers* in historia: *Clemens*, inquit, fixit Avenio-
ne Pontificiam Sedem magno Christiana-
rum rerum detrimento, cum Roma ac Pa-
trimonium Ecclesiæ à Cardinalibus admini-
straretur. Imo & Franciæ luctuosa vicinitas,
serie miseriarum calamitosum regnum ob-
ruente. hæc & similia Historici de transla-
tione hæc in gratiam Regum Gallix factâ
& continuatâ.

CLXXXVII. CLEMENS V. *E-
lect. 1305. filius fuit *Bertrandi* Equitis
ante Pontif. Archiepisc. Burdegalen-
sis *Bertrandus* dictus. Insigniter litera-
tus fuit: ab illo *Clementina*, zelo ardens
magno ovium in Ovile Christi addu-
cendarum. Obiit A. 1314. d. 2. April.
PRO-

PROPH: MALACH: *De Fessis Aquitanis*,
erat enim Aquitanus, & insignia ejus
Fesse, latinè *fissura*.

CLXXXVIII. JOANNES XXII.
* (reipsâ XX.) Gallus Cadurcensis
elect: 1316. Vir peritissimus jurium,
extant ejus extravagantes in 6. decre-
taliū. Temperantissimus in omnibus
librorum autem & litterarum avidis-
simus. Oeconomix optimus admini-
strator, ut qui 17. auri milliones Suc-
cessoribus in thesauro reliquit, in com-
modum & usum Ecclesiæ. Obiit An.
1314. die 4. Decemb. an: æt: 90. PRO-
PHET: MALACH: *de Sutore Ossio*. Fuit
enim ex Ossana plebeia familia, cujus
Pater *Arnoldus* Sutor erat veteramen-
tarius.

Meminerunt Chronologi hic Antipapæ
Petri qui se nominabat *Nicolaum V.* contra
Ioannem, & vitam finiit in carcere Avenio-
nensi A. 1327. de quo MALACH. PROPHET.
Corvus Schismaticus. Erat Minorita: dictus
frater de Corbario. Nidus Corvorum.

CLXXXIX. BENEDICTUS XI.
(aliàs XII.) Gallus Tolosanus Mona-
chus Cisterciensis & Cardinalis *S. Pri-*
scæ,

scæ, Pontif. elect. 1334. in summis honoribus profundissimæ humilitatis: cum enim patre molitore *Vilhelmo* dicto, natus esset, Cardinalibus electionem sui factam exprobrabat, quòd asinum molitoris elegissent. Illud crebrò usurpabat Psal: 18. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero* Unde omnem affectum immodicum consanguineorum exiit, non rarò contestatus, se ut *Furnerium pauperum consanguineorum ritè meminisse, ut Pontificem autem, non novisse, nisi se Furnerii, molitoris filij, conjunctos esse dixerint.* In rebus turbatissimis moderandis, & iis maximè, quæ pertinebant ad *Ludovicum Imper: anathemate à Ioanne Antecess. obligatum, id laudis ab Historicis meruit, ut, MAXIMUS & OPTIMUS Pontifex appelletur: metu Gallicæ potentia, ingenio ejus mitissimo, vim faciente.* Obiit A. 1342. die 25. April: *PROPH: MALACH: Frigidus Abbas.* Fuit enim *Abbas montis frigidi* Ord. Cisterciens:

CC. CLEMENS VI. ✽ Gallus Lemovi-

movicensis, ante *Petrus Rogerius* Abbas Ord. S. Benedicti Archiepisc. Atrebatens. Cardinal: SS. Nerei & Achillei Pontif. elect. A. 1342. à Petrarca *Litteratissimus Pontifex* appellatur, & admirandæ memoriæ. Acta ejus adversùs *Ludovicum* Imp: à multis indiscreti rigoris arguuntur. de quo Nauch: circa A. 1344. obitus ejus præsignificatus est ruinâ turris in Vaticano Romæ, & nigro Cometâ. Obiit autem A. 1352. die 6. Decemb. PROPH: MALACH: *De Rosâ Atrebatensi*. Episcopus fuit *Atrebatensis*, cujus SYMB: *Rosa*.

CCI. INNOCENTIUS VI. Lemovicensis elect. A. 1352. Maximæ moderationis, integritatis & Innocentiæ, pacisq; cum Christianis principibus conservandæ, & inter dissidentes conciliandæ studiosissimus: aulæ splendorem diminuit, ut Justitiæ præsidibus Salaria augetet, & à munerum acceptatione incorruptam Themidem servaret. Obiit A. 1362. d. 12. Sept: PROPH: MALACH: *De montibus Pammachij*: Cardinalis enim fuit SS.
Ioan.

Ioan: & Pauli ac Pammachij, & insignia ejus sex montes.

CCII. URBANUS V. Gallus Tolofanus, antea vocatus Guilielmus de Grisaco Grimaldi filius, ex Abbate *S. Victoris* Massiliens: Papa elect: A. 1362. Est hic XXVII. qui ex Ordine *S. Benedicti* ad Pontificatum ascenderunt (Viri plerique virtute, Sanctitate & famâ integerrimi, ut testatur de illis Arnold: Wion, ligni vitæ lib. 2. c. 1.) his non inferior *Urbanus, Vir* ut Platina loquitur *Singularis virtutis, ingentis animi, Innocentissimæq; vite.* Postquam *cruciatam* adversus Turcam expeditisset. Obiit An. 1370. die 10. Decemb: PROPH: MALACH: *Gallus Vice Comes:* fuit natione *Gallus* & Nuncius Apostolicus ad *Vice Comites Mediolanenses.*

CCIII. GREGORIUS XI. Lemo- vicensis antea Petrus Comes Bellifortis nominatus. Elect. A. 1370. ab omni nationali affectu expeditus: inducentibus potissimum *Catharinâ Senensis,* & *Baldo* Juris Consulto, suo quondam

dam instructore, Sedem Apostolicam Avenione Romanam iterum transtulit, ac Sanctâ morte obiit A. 1378. die 26. Mart: PROPH: MALACH: *Novus de Virgine forti.* Vocabatur enim Petrus *Belli fortis* & Cardinalis fuit *S. Mariæ nove.*

CCIV. URBANUS VI. Neapolitanus in Campania, antè Archiepisc. Barenfis, in Apuliâ, Bartholomæus dictus. Elect: (quanquam non absq; difficultate, cum electores plerique Galli essent) A. 1378. sed in Sede Apostolica non aliter, quàm in Signum contradictionis positus sedit. Gallis Cardinalibus, quos factæ electionis pœnituit, mox Antipapam *Robertum* quendam, Arelatensem patriâ, & Episcop. Genevensis opponentibus. qui Avenione iterum sedere cepit sub nomine *Clementis VII:* & hoc Schisma XXI. omnium fere Schismatum fuit turbulentissimum pro AntiPapa, *Ioannâ* Reginâ Neapolitanâ, Regibus Gallix Scotix & Arragonix, pro *Urbano* autem Italiâ, Portugalliâ, Angliâ, Hungariâ

gariâ & Germaniâ acriter facientibus: ille quanquam Justitiæ defensor egregius, Simoniacæ labis castigator peracerbus, sui ipsius contemptor generosus, luxûs omnis superflui & pompæ hostis Juratus, & Idea boni regiminis, maculam tamen non evitavit rigidæ vindictæ sumptæ de quinq; Cardinalibus, contrariis sibi, in mare submersis, & *Ioannâ* Neapolit: Regina regno exutâ. Obiit A. 1389. die 13. Octob. **PROPH: MALACH: De inferno Prægnanti:** fuit enim Neapolitanus *prægnans*, natus in loco qui dicitur *Infernus*: fuit etiam Archiepisc. *Acherontinus*.

Subijciuntur hic Prophetiæ *Malachia*, quas edidit de tribus Anti-Papis hoc loco intermixtis. De *Roberto* qui se *Clementem VII.* nuncupavit talis extat: *De Cruce Apostolica.* fuit nimirum presbyter Cardinalis SS. Apostolorum, & insignia ejus *Cruce.* de *Petro* qui *Benedictus* dici volebat, sic habet: *Luna Cosmedina* fuit enim dictus *Petrus de Luna*, Cardinalis S. Mariæ in *Cosmedina*. De *Ægidio* qui *Petro de Luna* anno 1424. successit, dictus *Clemens VIII.* Sic **PROPH: Schisma Barchinoninum,** Fuit enim Canonicus olim *Barchinonensis*,

CCV. BONIFACIUS IX. alias VII Neapolitanus ex genere Tomacellorum elect. A. 1399. de hoc *Genebrard. ita vixit Bonifacius, ut nihil ei obijci possit, nisi fortasse, quod usum annatarum Sacerdotijs imposuerit.* excusat tamen ipse *Genebrard:* eo, quod pecunias istas ne- tiquam collegerit in proprios, sed totius Ecclesiæ summè necessarios usus, ad universalem Ecclesiam contra *Tamberlanem, Chamum Tartarorum & Turcarum* potentiam defendendam. Prudentiæ & mansuetudinis laude eximius, obiit magno luctu Romani populi A. 1404. *PROPH: MALACH: Cubus de mixtione.* Fuit enim è Familia Tomacella, à Genua Liguriæ, cujus insignia *Cubi.*

§ 2. *Imperatores Orientis.*

CXIII. **A**ndronicus Junior Cognominatus Palæologus regnavit ab anno 1332. usque ad annum 1341. quo migravit è vita.

CXIV. JOANNES Palæologus qui annis 16. Regnavit cum *Ioanne Cantacuzo.*

cuZeno, solus autem regnavit annis 27.
& obiit A. 1384.

CXV. MANUEL II. Palæologus
Andronici frater à *Ioan*: Patre morien-
te præfectus Imperio, moritur, relictis
septem filiis A. 1423.

Imperatores Occidentis.

XXXII. HENRICUS VIII. Comes
Lutzenburgensis; Im-
perator dictus, Sopitâ Germaniâ in Ita-
liam properavit, quam præfecti sin-
guli in singulas tyrannides partieban-
tur. Demitis ad *Padum Quelpho-*
rum urbibus, expugnata Brixîâ, &
Româ in verba ejus adactâ, cum in *Ro-*
bertum Neapolis Regem, quem exau-
ctoraverat, arma quoque intenderet,
An. 1314. non absque veneni suspicio-
ne morbo absumptus est. SYMB: *Calix*
vita, Calix mortis.

XXXIII. LUDOVICUS V. Bava-
rus (alias VI.) postquam octennio fer-
mè interregnum fuisset, Elect: aliis pro
Ludovico, aliis pro *Friderico* Austriaco
bello in Germaniâ divisit: tandem post
M longa

longa prælia *Austriacus*, suâ manu 50
 hostibus confossis, captus, *Ludovicus*
 Imperium cessit, quo ille ad ruinam
 Pontificum abuti omnimodo conatus
 sibimet ruinam paravit, à tribus Pon-
 tificibus *Ioanne XXII.* (sive *XX.*) *Be-*
nedito XI. (sive *XII.*) & *Clemente VI.*
 Pontificiis execrationibus devotus, ab
 Electoribus regno abdicatus a prople-
 xiâ tactus & ex equo lapsus in ve-
 natione diem ultimum clausit 1347.
 d. 21. Octob. propè Monachium, ubi
 sepultus in Basilicâ B. M. V. & Cæsa-
 reo Mausolæo ab Elect. *Maximil:* ex-
 ornatus* SYMB: *Sola bona, qua honesta*

XXXIV. CAROLUS IV. Bohe-
 mus *Ioannis* Lucelburgensis Bohemiæ
 Regis filius, Post *Eduardum* Angliæ
 Regem, *Fridericum* Thuringiæ Land-
 grav: & *Guntherum* Schwartzembur-
 gensem electos Cæsares, ipse quoque
 Cæsar designatus est, A. 1356. ac al-
 tero illorum subinde post alterum vi-
 tã functo, Romæ Coronam hac con-
 ditione accepit, ut confestim Italiâ ex-
 cederet. Imperator fuit litterarum ap-
 primè

primè Studiosus, quinque linguarum peritus, conditor bullæ aureæ, ad comprimendum procerum ambitum, & Ordinum in Imperio gradus designandos: Sedis Apostolicæ Religiosissimus observator, ut *Urbano V.* Avenione Equitanti Stratoris officium pedes ipse exhiberet, nihil augustius arbitratus, quàm ob Christum ejus sese Vicario submittere. Obiit Pragæ An. 1379. SYMB: *Optimum alienâ insaniâ frui.*

XXXV. WENCESLAUS Caroli IV. filius ac Rex Romanorum cum regnasset an: 21. & menses aliquot, Imperio à proceribus ob ignaviam exutus Boppardiæ, A. 1399. Vino enim lustrisque frequens marcebat, & flagitiis insuper crudelitatem adjungens, secum semper carnificem habebat comitem, qui ad nutum hujus *Neronis*, quemque ut libitum esset, interficeret. Obiit tandem Pragæ A. 1419. SYMB: *Morosophi morbones pessimi.*

XXXVI. ROBERTUS Bavarus (ab aliis dictus Rupertus Palatinus) Rex Roman: creatus A. 1400. pruden-

ter & fortiter administravit Imperium, illo tantum infelix quod Italicis tumultibus se immiscuerit: sæpè enim procellæ, fluminis incogniti gubernatori peregrino clavum excutiunt. Obiit A. 1410. in Urbe Oppenheim Spira sepultus. SYMB: *Misera res digna est misericordiâ.*

§. 3. Concilia.

Concilium XV. generale approbat: Viennæ Allobrogum Anno 1311. Sub Clemente V. in oculis 3. Regum Gallia, Angliæ & Tarraconis: 300. Episc: in quo Statutum est ut in præcipuis universitatibus publicis Stipendiis alantur linguæ Hebraicæ, Chaldaicæ, & Arabicæ, Profess: * Concilium Provinciale Moguntinum. A. 1327. * Concilium Avennionense sub Benedicto XII. (aliàs XI.) A. 1337 * Anglicanum. 1341. * Parisiense adversus Schisma *Petri de Luna* AntiPapi:

§. 4. Schismata.

Petrus Antipapa A. 1324. qui se *Nicolaum V.* Nominabat contra *Ioannem*

nem

nem XXII. vitam finiit in carceribus Avennionensibus. * *Robertus* à Cardinalibus Gallis illegitimè electus adversùs *Urbanum VI.* & Successorem ejus *Bonifacium VII.* A. 1378. * *Petrus de Luna* eisdem incentoribus, ac promotoribus continuavit Schisma *Roberti* contra *Bonifacium* & Successores ejus usque ad annum 1424. quo obiit cum ab A. 1394. Schisma inceperit, ad mortem usq; custos acerrimus dignitatis umbraticæ.

S. 5. Propagationes Fidei.

CUmani in Hungaria. Samogitii, & Patarini in Bosnia, adnitente *Ludovico* Rege Hungariæ, qui ad id usus est operâ *Peregrini* Bosnensis Episc. Viri Sanctissimi; obiit autem *Ludovicus* Rex A. 1342. * Eiusdem *Ludovici* zelo fidei Catholicæ à multis depravatis opinionibus deducta est Lipna in Sclavonia. * Amplexi sunt fidem Christianam Lithuani, & *Jagello* Princeps illorum, cum octo fratribus & 1381. hic *Jagello* postea Rex Poloniæ creatus est A. 1386. S. 6.

S. 6. Persecutiones Fidei.

SAraceni multos Christianos variis
 in locis pro Christi fide necant. *
Cambagadus Tartarus Rex Persarum
 abnegato Christianismo Machometani-
 nis accedit, cum ingenti detrimento
 fidelium A. 1302.

S. 7. Sanctitate Clari.

SElzearius Comes. 1325. *S. Birgitta*
Sueca 1360. *S. Andreas Corsinus Fe-*
sulanus Episc. A. 1370. *S. Catharina Se-*
nenfis 1376. *S. Francisca Romana Vidua.*
 1340. *S. Ivo Presbyter & Conf.* qui tem-
 pore Honorij IV. Viduarum & Pupillo-
 rum causas agebat, in numero Sanctorum
 reponitur à Clemente.

S. 8. Hæretici.

BEguini. Bononatus & Justus. Dulcinus à quo
 Dulcinistæ. Lotardus. Joannes de Poliaco. Turc-
 Lupini sive Cynini. Joan. VVicleffus. Berthodus
 & Bolbach.

S. 9. Initia Religiosor. Ordin

OLivetani sive ordo montis Oliva-
 rum de quo Genebr. in Urbano V.
 An. 1370. * Senis, Jesuati à *S. Colum-*
bino

bino sub *Urbano VI.* A. 1356. * Eremitæ S. Hieronymi 1380. * Milites Jesu Christi sub Regula Cisterciensi in Lusitania. A. 1325. quibus cesserunt bona Templariorum. * Ordo Equitum de Stella per Regem Gallie *Joannem* quorum Symbolum fuit, *monstrant regibus astraviam.* 1350. * Eduardus Rex Anglie ductus æmulatione cum Rege Gallie Ordinem Garteriorum numero 26. *D. Georgio* Sacrum instituit, A. 1350. cujus ordinis ipse Rex caput est. Utuntur pallio cæruleo, & crus Sinistrum infra genu, loro à quo nomen datum est ordini, (quod *Garter* linguâ Anglicâ significet Perisceliden) fibulato gemmis & auro ornato cingunt eique inscribunt Gallicis verbis. *Vituperetur qui malè cogitat.* Polyd. lib. 19. Angl. hist. 1350. * B. V. Mariæ Annunciatæ Ordo Equestris in Sabaudia 1360. * Minorum de Observantia per *S. Bernardinum* A. 1400.

S. 10. *Initia Regn. & Princ.*

○ *Thomannus* Satraparum Asiæ potent-

M 4

ten-

tentissimus post Bythiniam ANDRONI-
 co Palæologo ereptam, cæteras quoq;
 Satrapias sibi subjecit, & Othomanni-
 ci Imperij initia posuit. A. 1300. mille
 scilicet annis postquam floruit Eccle-
 sia à temporibus *Constantini*. * Liber-
 tatis Helveticæ tabulæ scribuntur
 Anno 1313. * Comitatus Geldriæ
 in ducatum mutatus A. 1326. * Præ-
 fecturæ Italiæ in liberos marchiona-
 tus mutantur. 1350. * *Clemens VI.* à
Joanna Roberti Regis Siciliæ filiâ emit
 Aveñionem, & facit juris Pontificij A.
 1350. * Delphinatus ab *Humberto* Prin-
 cipe *Philippo Valesio* Gallix Regi 40.
 aureorum millibus eâ conditione
 venditus, ut Regum Primogeniti
 deinceps *Delphini* nominarentur. A.
 1345. * Burgundia morte *Othonis* &
Philippi, Hannonia, Hollandia, Ze-
 landia, & Frisia ad Bavaros deven-
 runt A. 1346. * Tartari in Perside con-
 triti à *Gensâ* Turca A. 1350.

§. II. *Instit. Sacror. Rituum.*

J ubilæi mutata celebratio in singu-
 los

los 50. an: per *Clementem VI.* * Festum
 Visitat: B. M. V. ad Schisma tollendum
 ab *Urbano VI.* An. 1389. * Reductio
 alia Jubilæi ab *Urbano VI.* ad an: 30.

§. 12. *Nova reperta & Na-
 tales Urbium.*

Infigne inventum acûs nauticæ per
Flavium à Doria Molfensem A. 1303
 * Æræ in Arragonia & Castellâ abro-
 gatæ, inductâ à Christo numeratione.
 A. 1358. * Bombardæ & pulvis nitra-
 tus inventus à *Bertholdo Nigro* Germa-
 no, qui hoc invento suo morti alas ad-
 didit, ad tantò celerius & remotius
 perdendum A. 1380. * Bilbalim con-
 ditur A. 1300. * Lymia & Pons obli-
 vionis celeberrimus Hispanis extrui-
 tur à *Petro Lusitano.*

§. 13. *Script. Sacri & Theol.*

Nicolaus Lyranus ex Judæis Profely-
 tus & postea Franciscanus commen-
 tator insignis in biblia circa A. 1327 * Lu-
 dolphus 1332. *Quido Carmelita* Episc 1330.
Simon de Cassia Ord. S. Aug: 1348. *Tau-*
lerus Rich; Armacanus Episc. Susp. Ber-

Ms

cho

chorius 1360. Raymundus. Iordanus vulgo Idiota. Durandus de Portuano. Episc: Dominic. 1320: Ioannes Duns Scotus Franciscan: 1300. Robertus Holgote Dominican 1349. Gregorius Ariminensis Augustin. 1359. Ioannes Bacconus Carmel: 1342. Petrus Paludan: Dominican 1320. Thomas Argentinas Augustin. 1350. Marsilius de Inguen German. 1396.

S. 14. *Aliar: Discipl: Periti.*

Iur: Guilielmus Mandagoti Archiepisc E-bredun: Dinus Magellanus. Petrus de Bellâ perticâ. Oldradus de Ponte. Joannes Carderinus Cynus Pistorientis. Bartolus de Saxo Ferrato. *Med.* Thomas de Galbo. Bonominus Permonensis. Joannes Gattidenus. Petrus de Apono, Conciliator. Thadæus Florentinus. *Math.* Rogerius Baccho. Joan. Cantuariens. Joan. Eligerus. *Philos.* Joan. Vistonas. Burlæus Rob. Crucius Godefrid; Cornubiensis. *Philol.* Franciscus Petrarcha. Nicolaus Oresinus. Emmanuel Chrysoloras. Leonardus Aretinus *Hist.* Nicephorus Gregoras. Joannes Villani.

S. 15. *Strategi & Prælia.*

U Guccio fagivola. Canis Scaliger. Matthæus Vice Comes. Castrucius
Ca-

Castracan^o. *Egidius Albornotius*. Car-
 din: *Alphonsus XI*. Hispan: Sarace-
 norum 450. millia cecidit, viginti
 tantum Christianis desideratis A. 1340
 Clades Gallorum in Pictavis per An-
 glos. Lusitani Castellanos magnâ cla-
 de afficiunt. 1385. *Tamerlanes*, *Tar-*
varus, ductis duodecies Centenis mil-
 libus *Baiazerem Turcam* profligat. cæ-
 sis 140. millibus hominum. *Baiazeres*
 enim Turcorum Imperator totâ fere Græ-
 ciâ, & magnâ Bulgariæ parte sibi subiectâ,
 indignatus, quod *Emmanuel* Constantinop:
 Imperat: nollet apud se munere Janizarij
 fungi, decennali bello Byzantium oppug-
 nat: *Tamberlanes* autem, ab aliis *Temerla-*
nes, à Græcis *Temir*, Scytha, ex latrone &
 privato homine factus Imperator, & Dei fla-
 gellum se dicitans incursione in minorem
 Asiam factâ *Baiazerem* ab obsidione Con-
 stantinopolis (quam alioquin expugnaturus
 fuisse creditur) retrahit, & conflictu cru-
 entissimo captum, catenis aureis ligavit,
 atque in ferream caveam intrusum, secum
 per omnes Asiæ & Syriæ expeditiones cir-
 cumduxit, eoque pro Scabellousus est, si
 quando equum conscenderet. *Chalcocond:*
 lib. 2. & 3, de rebus Turcicis. Atque ita ve-
 nit salus ex inimicis nostris, servato tunc
 Byzantio.

§. 16. *Univ. & Schol. Publ:*

A Venionensis per *Bonifacium VIII* 1300. * Ferrariensis 1316. Pisana 1339. Aurelianensis 1312. Heidelbergensis 1346. Pragensis à *Carolo IV.* * 1361. Cracoviensis per *Vladislaum* Poloniae Regem. 1361. Andegavensis 1361. Senensis 1380. Coloniensis 1388. Erfordiensis 1392.

§. 17. *Res Memorabiles.*

Coronatio *Clementis V.* Lugduni, quam tres Reges Ornarunt Francus, Anglus, & Arragonius, sed in exitu lugubris, pariete scilicet lapso & coronatis capitibus gravem saltem exitii timorem incutiente, *Ioannem* autem Britanniae Ducem multosq; alios opprimente. A. 1306. * Equites *S. Ioannis* Hierosolymitani Rhodum Insulam cum quinque aliis vicinis, Turcis eripiunt, unde *Rhodij* appellari incipiunt An. 1309. * a *Francisco Mayronensi* Ordinis Minorum, *Scoti* discipulo, ortum habet ille *Actus Sorbonicus*, quo unaquaque feriâ VI. ætatis, ab
 hora

horâ 5. Mat. ad 7. vesper: sine præfide
 omnibus opponentibus responderetur.

A. 1320. * In Concilio Viennensi in
 Gallia Ordo Templariorum extinctus,
 quos multorum criminum reos, par-
 tim ignis absumpsit, partim exilium te-
 xit. Eorum bona vel Regi Franciæ con-
 cessa, vel Rhodiis equitibus *S. Ioannis*
 applicata A. 1311. * Titulus Regis Gal-
 liæ accidit Regi Angliæ An. 1327. *

Mortuo *Carolo pulchro* absq; virili stirpe
 anno 1327. orta est quæstio (quam Angli
 adhuc dicunt esse sub Iudice) inter Fran-
 cum & Anglum de Regno Franciæ: *Edovar-*
do 3. Angliæ Rege, quod filius esset *Isabella*,
 filiæ *Philippi pulchri*, jure proximioris gra-
 dûs cognationis contendente sibi obvenire
 regnum; contra autem *Philippo Valesio* filio
Caroli Valesij Fratris *Philippi pulchri* decreto
 legis Salicæ, quâ fœminæ à regni Succes-
 sione excluduntur, illud sibi vendicante. At
Francis Valesium Regem decernentibus, *E-*
douardus titulum Regis Galliæ & insignia
 retinuit *Æmil: lib: 8.* hinc funesta bella sæ-
 pius intermissa, & sæpius renovata Gallos
 inter & Anglos. *

Custodia sepulchri Christi Hieroso-
 lym: committitur ab Ægyptio Sultano
 S. PP. Franciscanis An. 1336. * Regi
 Gal.

Galliæ à *Clemente VI.* Propter merita in Ecclesiam potestas datur, sub utraq; Specie quodocunq; vellet communicandi, quâ potestate uti consuevère Reges Galliæ ipso die consecrationis & in articulo mortis. *Henricus de Eucharist. c. 44. § 7. & gloss. lit. n. o.** Vectigal falis Francis imponi cæptum à *Philippo* Rege *Gaguin. l. 8.** *Amurathes 3.* Turcarum Imperator Inito fædere cum *Ioanne Palæologo* An. 1360. Imperij sui Sedem figit *Adrianopoli*, cui ipse Palæologus fit vectigalis, & hic fructus fuit *Leonina Societatis*. Itaq; per Græcorum obfirmationem in Schismate crevit res *Ottomannica* maximo damno fidei Christianæ * *Carolus VI.* Francorum Rex incertum liliorum numerum ad ternarium reduxit, hodieq; in suo insigni utitur. * *Humberius* Princeps Delphinatus, *D. Dominici*, & *Ioannes Armenia Rex S. Francisci* Ordines ingrediuntur. * *Bonifacius IX.* ad onera belli, contra infideles, annatas imponit, ut qui beneficium consequeretur, fructus unius anni, aut dimidi-

am

am eorum partem fisco Apostolico sol-
veret. A. 1396. Observat autem Genebr:
Bonifacium non tam invenisse, quàm secun-
dò tantùm indixisse annatas: cum *Hostiensis*,
qui vixit circa an. 1260. in cap. *inter cetera*
de offic. Ordinar. dicat de ea re sæpè recla-
matum fuisse, & *Francis. Zarabella* scribit in
Concilio Viennensi Statutum fuisse, ut sub-
latis annatis vigesima pars reddituum Sa-
cerdotalium quot annis Rom. Pontif. pen-
deretur.

§. 18. *Signa & Even. Trag.*

ERuptio Pumicum & Cinerum ex
Elchia Insulâ A. 1302. * Visæ fi-
mul in cœlo tres lunæ 1314. * Constan-
tinopoli equus pictus ante Sacellum
Deiparæ Virginis, quo *D. Georgius* su-
stinebatur, mediâ nocte bis hinnivit,
magno omnium hominum terrore, ca-
lamitatem inde præfagientium nam
& annis 50. antè, idem contigit & se-
cuta est multiplex calamitas, *Niceph:*
Gregoras lib. 8. * Terræ motus in Panno-
nia 26. urbes prostravit A. 1348. * *En-*
guerranus in furcâ moritur, 1314. *
Puella 9. tantùm annorum peperit fili-
um in quodam oppido, ad Mosellam

Gene-

*Genebrard. in Benedicto XI. * Andreas*
 Rex Neapolitanus *Ioanna* Conjugis
 malignitate strangulatur. An. 1344.*
 Et quamvis tam infami criminis pa-
 trati suspicione apud nonnullos exe-
 merit se *Ioanna*, non tamen depulit à se
 miseras expiatrix fortè tanti scele-
 ris: ipsa enim sæpius exul, vidua, de-
 jectà, quòd Schismatis Promotrix fa-
 cta esset: iterum restituta: tandem à
Carolo Dirrachino pulvillo suffocata,
 eidem, pro Spolio mortuæ, thronum
 reliquit An. 1381.* Pests triennis, &
 universalis mediam hominum partem
 sustulit A. 1349.* *Perrus* Rex Castellæ
 securi percussus An. 1360.* *Baldus* à
 canicula leviter in labro morsus, quar-
 to post mense furit & moritur.* *Am-
 rathes* trigesies septies victor, à servo
 confoditur.*



SÆCULUM XV.

AB ANNO 1400. ad 1500.

S. I. *Romani Pontifices.*

CCVI. INNOCENTIUS VII. Italus

Sul-